VINDICIÆ
THEOLOGIÆ
Iberopoliticæ ad Catholicum
Regem Hiſpaniarum, &c.
PHILIPPVM IV.


Bibliothecæ S. Mariæ Transpontinæ

CONTRA PSEVDOTHEO-
logi Admonitoris calumnias.

[redacted]



M. DC. XXVI.





VINDICIÆ THEOLOGIÆ

Iberopoliticæ ad Catholicum Regem Hiſpaniarum &c. PHILIPPVM IV.

Contra. Pſeudotheologi admonitoris calumnias.



Rodijt nuper in lucē, immo è Cimmeriorum tenebris erupit (ô Rex Catholice) Gallus impoſtor quidam qui dum apud Regē Chriſtianum admonitoris officio defungitur, Catholicæ majeſtatis tuæ grauis admodum & contumelioſus extitit accuſator. Admonet quippe illum vir ſerius vt ab antiquis & patrijs diſcedat fœderibus cum Turcarum Imperatore

videlicet, cum Regibus Anglo & Dano, cum republica Venetorum, cum Sabaudo, Hollādis, Transiluano, Palatino, Hesso & alijs Germaniæ proceribus. Tum verò vt abhinc centum plusquam annis confœderatos sibi Grisios deserat, illos opprimi & terris suis sinat exui & dominio spoliari: hoc ni faciat imminere sibi & regnis diuinam vltionem, & à Dei in terris vicario fulmina caput eius diris & furijs infernalibus deuotura, & horrendas à veris omnibus Catholicis imprecationes & supplicia. Cur tandem! quoniam, inquit, omnes isti aut infideles aut hæretici quibuscum rem habere, aut fœdera inire, aut velut socijs suppetias ferre, aut socia arma jungere, immane est scelus, & execrandum facinus, ac pœnis omnibus expiandum, clamante Propheta Eliezer ad Iosaphat, *Quia habuisti fœdus cum Ochoz, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* Et eidem Regi comminante Iehu filio Hanani, *Impio præbes auxilium & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris,*

ris. Non agnoſcis fraudem, ô Rex, non in herba latitantem anguem vitæ tuæ inſidiantem! non vides hoc fulmine caput tuum peti, in te tuoſque hanc fabam cudi? hæc tuorum Theologorum doctrina eſt iſta ſententia quam Gallus ille nequam, latro trifurcifer impugnat aut impugnare ſe ſimulat. Illud in Rege Chriſtianiſſimo condemnat, quod maiores tui Reges Catholiciſſimi, necnon prudentiſſimi ſummo ſtudio coluerunt, vt fas & ſanctum ſemper habuerunt, & pro temporum & rerum opportunitatibus ſæpius vſurparunt. Immo quod Iberopolitica tuorum Theologia calculo ſuo & ſuffragio comprobauit fœdera cum infidelibus Chriſtianis principibus honeſta & licita. Et quod minus ferendum eſt Franco tribuit plagiarius iſte quod Iberum eſt & Hiſpanum, vel ſi mauis Gotthicum & Auſtriacum, priuatas cauſas pietatis agere obtentu & cupiditatum ſuarum religionem habere pediſſequam. Tolle cum veteribus Mauris amicitias, nupera cum Mahumetanis & idololatris fœdera, Luteranorum & Coſaccorum,

hoc eſt barbarorum & efferatorum hominum auxilia, Chriſtianis vicinis, amicis, affinibus pietatis obtentu ademptaregna, poſſeſſiones, terras; res tua,ô Rex,tibi verè ad raſtros redit. Nugatur ille pſeudotheologus admonitor, immo blaſphemat,& in maieſtatē tuam iniurius eſt & atrox; & quo petit telo Francū, eo te, ô Rex Catholice, confodit. Fœdus eſt, calumniator exclamat, Chriſtianiſſimo regi cum Turca, tibi, ô Rex Catholice cum Perſa, Calecutique & Indiarum Orientalium Regibus Mahumetanis omnibus,aut Paganis & idololatris, & dæmonum vſque ad ſuperſtitionem cultoribus: quinetiā ad portam magni illius Chriſtiani nominis hoſtis & Turcarum tyranni negociatores tuos Monachum vnum, Iudæum alterum excubare, Satrapas eius ingētibus donis tentare, miniſtros muneribus corrumpere, vt te aliquando ad eius amicitiā admittant & ſocietatem, lippis & tonſoribus Conſtantinopolitanis ita notū eſt vt nemo iam poſſit ambigere. Vetus quæ cum Palatina domo & Francorum Regibus interceſſit amicitia &

ſocietas Ludouico nunc Iuſto, ſed aliquando iuſtiori futuro, cùm res cuique ſuas habere iuſſerit & fecerit, crimini ab admonitore datur, quia nunc errorum Caluini ſectatrix & Auguſtanæ confeſſionis miniſtros Luteranos videlicet vehementer afflixit. Tu Rex Catholice non ita veterem cum domo Saxonica belli & armorū ſocietatē foues, quæ Luterum aluit, fouit, protexit, & prouexit illud Monſtrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen hoc ademptum foret, Saxiam dico, ſi atauus tuus Carolus V. Imperator prudentiſſimus & fortiſſimus tam religioni quàm ſuæ vtilitati & ambitioni conſultum eſſe voluiſſet. Ille Caluiniſtam, tu Luteranum protegis; ambo ſontes ſi Chriſtiano vel Catholico Principi nulla cum hæreticis ſocietas eſſe poteſt. Heſſum fouet ille, tu Damerſtati Lantgrauium: quorum ille Caluini, iſte Luteri opiniones ſectatur, quonam religionis Catholicæ maiori bono? Quod Imperator agnatus tuus Heſſo Caluiniſtæ abſtulit, Magdeburgum dico, germanis Heſſis Luteranis reſtituit, qui in ea vrbe

Luteranismum prædicant, vbi priùs Caluinismus personabat; quodnam inde Catholicis lucrum? Cum Anglo rege Francus affinitate sese deuinxit, sororem suam ei collocando; tu tuam prior eidem iungere volueras, & hoc infectum postquam id effecit Gallus, doles. Tu mente & voluntate priùs peccaueras, si in facto crimen est, nec te peccati pœnitet, quamdiu id non à te factum dolebis. Auus tuus Philippus II. Rex sapientissimus Angli nunc Regis patrem enixè coluerat, quem Martyrum imbutum sanguine calumniator asseuerat; eius ad regnum aduentui & inaugurationi amplissima legatione congratulatus est, qua defunctus est Magnus Castellæ Stabuli Comes, quem cùm Rex ipse priuato habitu & cultu dom[illegible]inuisisset, occurrens ille non vt Catholici Regis legatus hęreticum, sed vt alter Euangelicus Centurio Christum ipsum salutauit, dicens, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* idque Historici tui scriptis suis posteritati commendarunt.

Relatio Antuerpiæ impressa per Ioan. Moretum. ann. 1604.

Cum Danis Regibus Franciæ Rex ab-

hinc ducentis annis à maioribus ſuis contractas fouet amicitias, tu Regem Danum parentem, affinem, ſocium, & amicum vocas,& Principem fœminam ſtirpis tuæ, eius filio in matrimonium collocare voluiſti; Rex Frācus duas Caluiniſtarum ciuitates Sedanum & Geneuám defendit & protegit, tu tuique VVittembergam, in qua Luterus ille poſtrema belluarum exterādam ſuam doctrinam propalauit & diſſeminauit. Tune illo innocentior, quem vile caput & nequam dęmonis mancipium, teque eius exemplo diris omnibus deuouendum, regno ſpoliandum & de medio tollendum cenſet, ex ſua, ſed non ex Theologorum tuorum ſententia. Etenim viri doctiſſimi & ſolertiſſimi non ignorant, ſocietates armorum non intuitu religionis, ſed defenſionis aduerſus hoſtem communem quiſquis ille ſit Tros Rutulúſne fuat fidelibus populis & Principibus cum infidelibus eſſe honeſtas & licitas, nulloque iure neque diuino neque humano prohibitas. Immo à ſummis viris & omni veneratione dignis ſæpius vſurpatas tam ſub lege

naturæ quàm ſcripta & Euangelica.

Geneſ. 21. Abrahami quem patrem credentium Chrſtiani omnes agnoſcunt fœdus ictū cum Abimelecho rege Palæſtinorū & Phicol exercitus eius principe, quo ſacris etiā adhibitis iurauit ſe nec illi nec poſteris & eius ſtirpi nociturum, Deus non improbauit, nec ideo magnum illum & fidelem ſuum Patriarcham minus gratum habuit. Erant nihilominus illi quibuſcum fœdus percuſſerat ambo infideles & idolorum cultores. Idem Geneſ. 14. etiam fidelium Princeps & parens cum Aner & Eſchol Amorrhæorū regulis, fœdus inire non dubitauit, nec cum eis ſocia arma iungere contra Chodorlahomorem Regem Elamitarum, quorum auxilio regem illum cum exercitu ſuo ad vnū vſque cæcidit, qua parta victoria eiſdem regulis atque eorum militibus ſeu victoriæ ſocijs prædæ partes licet infidelibus aſſignauit. Pulſus regia Saülis, Dauid & ſoceri regis inſidijs appetitus, ad Achim Regem idololatram cōfugit, fœdus inijt & amicitias contraxit, ipſique aduerſum Iſraëlitas bellum geſturo adfuit, & auxiliares co-

pias adduxit. *Et Satrapæ quidem Philistijm*, inquit scriptura, *incedebant in centurijs & millibus. Dauid autem & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis*, pro eo vtique rege infideli aduersus fideles decertaturus, pro amico & socio aduersus socerum, ni Ducum Achis & Satraparum eius diffidentia vel inuidia obstitisset eumque castris discedere inuitum coëgisset. *Quid, inquit, feci & quid inuenisti in me seruo tuo à die qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam & pugnem contra inimicos domini mei Regis.* En ipse Hebræus & circumcisus Dauid socij Regis licet infidelis & incircumcisi hostes, Hebræos nempe & circumcisos, suos habebat & nominabat hostes. Idque iure & non iniuria factũ ab eo doctores affirmant, qua de re nec à Deo fuit redargutus aut reprehēsus. Pactum fecerat cum Gabaonitis infidelibus, Iosuë eosque in medio populi Israëlitici habitare sinebat. at *Saül, inquit scriptura, voluit percutere eos zelo quasi pro filijs Israël & Iuda*, gratum existimans se facturum Deo. Inde grauis per totam Iudæam fames iniuriam

1. Reg. 29.

2. Reg. c. 21.

infidelibus socijs à fideli Rege illatam zelo vindicante numine & filios Saülis pro piaculo ad necem exposcente. Septem ex eis insontes licet crucifigendos tradit Gabaonitis, rex mitissimus, ita Deo iubente, & reddita Iudæis fertilitate gratum id sibi apprimè fuisse testante. Ita Deus fœdus cum infidelibus populis factum à populo fideli non improbauit, quinimmo violatum seuerissimè vindicauit. Eidem regi fidelissimo Dauid erat admodum stricta cum Hiramo rege Tyri necessitudo, quam Salomon legatione ad eum missa diligenter post patris obitum coluit, ac de nouo percusso fœdere confirmauit. Et quod mirum magis, eidem regi idololatræ pro lignis cedrinis & alijs pretiosioribus materijs ad templi constructionem ab eo subministratis, viginti oppida in terra Galilææ dono dedit, & ditionis eius esse permisit, fideles populos regi addicens & subijciens infideli, quod hodie facinus tam graue existimatur, etsi Pontifex Romanus pro pace toti orbi reddenda, & omnium Christianorum salute cōseruanda id factum

3. Reg. c. 5.

esse concesserit aut dissimulauerit, & non pro totis viribus impedierit, cõtinuò hęreticus & abdicandus censeatur. Familiare fuit Iudææ regibus cum vicinis regibus idololatris societates inire & fœdera iungere, eorumque auxilia aduocare, vt illatas sibi à regibus Israëliticis iniurias vel depellerent aut ipsi inferrent. Certum est tamen in regnis Israël maximam fidelium Iudęorum, & qui genu ante Baal non curuauerant, multitudinem ipso teste Deo semper fuisse, aduersum quos Syriorum & aliorum sibi confœderatorum copias armabant reges Iuda, non abnuente numine.

De Aza rege Iudæç, testatur scriptura quod fecerit rectum ante conspectum domini, sicut Dauid pater eius. Ille tamen Rex adeo pius & deuotus, cùm æmulus eius Baasa rex Israël arcem ædificasset in Rama, *vt non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Aza regis Iuda*, legatos misit Damascum ad Regem Syriæ, dicens, *fœdus est inter me & te & inter patrem meum & patrem tuum, ideò tibi misi munera argentum & aurum,* 3. Reg. c. 15.

& peto vt venias, & irritum facias fœdus quod habes cum Baaza rege Israël & recedat à me.

Quid referam fortissimos illos & zelantissimos Duces & Iudęorum Reges simul ac Pontifices Maximos fratres
1. Macab. c. 8. Machabæos Iudam, Ionatham & Simonem, qui Romanorum tunc Ethnicorum & infidelium amicitias magna ambitione exquisierunt. Verba fœderis hæc sunt. *Si institerit bellum Romanis aut socijs eorum auxilium feret gens Iudæorum prout tempus dictauerit corde pleno. Similiter autem & si genti Iudæorum acciderit bellum adiuuabunt Romani ex animo.* Cum Spartiatis quoque seu Lacedæmonijs fœdus ab Onia summo sacerdote initum, Ionathas item rex & summus sacerdos renouauit, cuius ad eos
1. Marc. c. 12. hæc sunt verba. *Nos cùm nullo horum indigeremus & habentes solatium sanctos libros qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos, renouare fraternitatem & amicitiam, ne forte alieni efficiamur à vobis, multa enim sunt tempora ex quo misistis ad nos &c.* memores sumus vestrum in sacrificijs quæ offerimus. Quid por-

ro Iudæi pro Ethnicis illis gentibus à Deo petebant, nisi vt illis prospera cuncta euenirent, hostes superarent, & vt quieté & tranquillè intus forisque degerent. Numquid ijdem etiam Iudæorum reges & summi sacerdotes, Demetrium Syriæ regem ab Antiochenis subditis suis iam pene oppressum, missis ad eum fortissimis Iudæorum copijs maximo & imminenti periculo liberarunt, Antiochenis ciuibus penè ad internecionem deletis. Idem profectò laudabiliter & sine vlla cuiusquam reprehensione factitarunt pijssimi quique Imperatores Christiani, inter quos Theodosius ille Magnus gentilis tuus, nam hunc Hispania Romanis Imperatorem dedit, qui cum Athanarico Rege Gotthorum Pagano & Christianorum persecutore fœdus inire non dubitauit. Quodque magis in Christiano mireris Imperatore, hunc idololatram Regem Constantinopolim ad se vt veniret inuitauit, venienti obuiam processit, mortuum ibidem ritu gentilitio ambitiosissimis exequijs sepeliendum curauit cum Gotthis infidelibus conti-

Marcellin. in Chron.

Ammian. lib. 27.

nuato fœdere. Idem fecit eius filius Arcadius Imperator religiosissimus, qui cum Gayna Gottho Ariano fœdus non solum inijt, verum etiam exercitus sui Præfectum instituit. Et quod incredibilius esset, ni quotquot eorum temporum scriptores testatum reliquissent, idem religiosissimus Imp. cùm se mori cerneret, inquit Paulus Diaconus, videns Theodosium filium paruulum esse, consideransque ne à quoquam insidijs peteretur, ei curatorem per testamentū fore statuit Isdegerdem Regem Persarum, cum quo Romani Imp. fœdus habebant, ait Socrates, quod felicissimè cessit: nam & Isdegerdes pupilli curam suscepit, eique Imperium conseruauit. Atqui Theodosio quidem Imp. Thessalonicensium cæde perpetrata legimus à beato Ambrosio sacris interdictum; quinetiam Arcadium Imp. ob illatam S. Chryostomo iniuriam ab Innocentio Papa communione priuatum nouimus. Sed quod vterque cum Regibus & Principibus paganis aut hæreticis fœdus habuerint à nemine video reprehensos ne, leuiter

Paul. Diac. lib. 3.

Soc. lib. 7. c. 8.

notato

notatos quidem. Nouerant quippe viri ſapientiſſimi Pauli verum eſſe axioma illud, non quod ſpirituale primum, ſed quod animale: cum autem id quod animale, tum verò id quod ſpirituale religionem ita ſaluti publicæ coniunctam quomodo animam & mentem corpori, publicæ ſaluti ante omnia conſulendum, etſi non ſupra omnia, ſi religionem ipſam qua nihil eſt precioſius ſartam tectam velis. Inter pacis artes religionem eſſe præcipuam, pacem non niſi bello parandam, bellum armis gerendum, arma imbellia quæ nullis ſociorum opibus & auxilijs ſtarent. Socios in rebus ciuilibus non ad dogmata tuēda, ſed ad corpora defendenda comparari: non eorum argumenta, ſed arma requiri, nec qui in diſputando acriores: ſed qui in bellando magis ſtrenui, eorum fœdera & ſocietates expeti. *Audiuit Iudas, inquit ſcriptura, nomen Romanorum quia ſunt potentes viribus*, non quod in diſceptendo acuti & Hebræorum dogmatum periti. verbi gratia, Olim cùm Angli cauillationibus & ſophiſmatis Pelagianorum hæ-

1. Machab. c. 8.

Beda de rebus Anglorum.

reticorum resistere per se non possent, ad Gallos Episcopos confugerunt, eorum implorantes auxilia; missi ad eos Germanus & Lupus Catholicorum dogmatum propugnatores acerrimi, qui vim illatam Anglorum mentibus propulerunt, Pelagianos fuderūt, amicos & socios ea peste liberarunt, in religionis causa religiosas copias & fidei tessera sibi coniunctas accire necesse esse iudicarunt. Cùm verò à Pictis vel Scotis & Danis & à vicinis nationibus oppressi imminentem ceruicibus suis perniciem propellere se non posse senserunt, tum verò non iam ad Episcopos Gallos, sed ad Romanos Duces recurrunt, eorum socia arma petentes. Tanti interest vtrum reipublicæ an religionis causa agatur. Vtrum hostis animum petat vel corpus. Si prauitate dogmatum hæreticus Catholici mentem alicuius tentet perdere, is profecto non hæretici alterius, sed Catholici Doctoris opem debet implorare. Si cuius corpus & vita appetitur; sufficit, si hominem in auxilium vocet. Et qui vim sibi inferentem necat, non Chri-

ſtianum trucidat, ſed hoſtem. Illud etiam à natura docemur, nullius opem refugere vel protectionem. Quis mitiſſimum animal & mundum, cui ſe Chriſtus etiam ſimilem fecit, & voluit nominari & quod in myſterijs noſtris Chriſtianos deſignat; ad arcendam luporum in ſe feritatem & ſæuitiam à canum immundorum animalium cuſtodia non abhorret. Nulla vitæ tuendæ ratio eſt inhoneſta & illicita aduerſus latronem publicum, quamuis Catholicus ille ſit omnes iure armantur Chriſtiani & alij. Nec enim quà Catholicus eſt timetur, ſed quà hoſtis publicus & latro, nec quà Mahumetani aut infideles, hunc aduerſus in auxilium aduocantur, ſed quà homines, ſocij, vicini & communium iniuriarum propugnatores.

Atque hæc eſt communis Theologorum tuorum, ô Rex, ſententia quam acriter tuetur Cartagena, cuius hæc eſt aſſertio. Principem Chriſtianum tuta conſcientia infideli alicui auxilium ferre poſſe aduerſus alium Principem Chriſtianum. Quinetiam Papam ip-

Carthag. propugn. Catholicum de iure belli ſummi pontificis Rom.

ſum infidelium copijs & militibus iura Eccleſiæ & libertates tueri poſſe aduerſus quoſlibet impugnantes. Idque probat exemplis Abrahæ, Dauidis, & Imp. Caroli V. Maieſtatis tuæ ataui, qui Luteranorum copias aduerſus Francorum Reges eduxit. Et quia Carolus id fecit, id iure fieri poſſe confirmat.

Diſput. 112.

Idem etiam aſſerit Petrus de Lorca Complutenſis doctor Principi Chriſtiano licere infidelium armis iura ſua tueri & defendére, & ad Ioſaphat exemplum quod ipſe ſibi obiicit, reſpondet, non ei fœdus cum infideli percuſſum, ſed diffidentiam ſuam in Dei auxilium noxæ fuiſſe. Euolue, ô Rex, Catholice, annales tuos, & vt Aſſuerus alter, ſi tibi aliquando noctem inſomnem ducere contigerit, iube tibi afferri hiſtorias priorum temporum & te præſente legi. Audies profecto maiores tuos Catholicos alioqui principes, ita delicatam non habuiſſe conſcientiam, vt quoties è re ſua eſſe iudicauerint, Maurorum, Saracenorum, Paganorum, & hæreticorum amicitias & ſocietates expetere aut illos tueri,

aut ab illis defendi, ab huiusmodi fœderibus abhorruerint. En tibi Ioan. *Ioan. Mari.*
Mariana Societatis Iesu pater religio- *lib. 7. c. 6. 7.*
sissimus & historicus, iure meritoque *19. & lib. 8.* *c. 8 & lib. 9.*
tuus, exempla tibi non pœnitenda sug- *c. 1. 7.*
geret. Aurelij Hispaniarum Regis & Froïlæ occisoris, qui cum Saracenis & Mauris fœdus inire non dubitauit, nec eis centum virgines Christianas quotannis tributi nomine pendere. Quod postea ita est moderatum sub Mauregato Rege, vt ex eis virginibus quinquaginta nobiles & patritiæ, aliæ quinquaginta plebeiæ penderentur. Turpissimum hoc, sed honestati, vtilitatem publicam debere præferri Principes prudentissimi semper censuerunt. Quid quod anno 984. pro Mauris aduersus Regem Legionis magno Christianorum exercitu pugnatum est? Quid quod anno 1035. Ramirus Rex Aragonum Mauris opem ferentibus aduersus Garziam fratrem suum Nauarræ Regem bellum gessit acerrimum? Quid quod infidelium opibus adiutus Castellæ Rex Sancius auunculum suum Aragonum Regem sedibus

suis expulit? Quid quod Alphonsus ille Astrologus qui vt Momus alter corporis humani & totius mundi fabricam imperitè à Deo factam arguebat, à Sancio filio Maurorum Granatensium auxilio, regno & sceptro fuit spoliatus? atque ipse numerosum Maurorum Afrorum exercitum contra filium euocauit? Quid quod anno 1238. Rodulphus Abspurgi Comes prosapiæ Austriacæ progenitor & primus ex ea tunc humili domo factus Imperator, cum Ottocaro Bohemiæ Rege, bellũ gerens, decem millia Comanorum, hoc est Tartarorum infidelium in exercitu suo habebat, qui, vt Germanicarum rerum scriptores testantur, Christianos captiuos ad paganistiam, ita loquuntur, trahebant. Sicut modò exercitus tui, ô Rex Catholice, Cosaccis & Luteranis vt plurimum constant, quorum barbaries effera sacris, nec locis, nec personis vllis parcit; ita vt Christiani populi, Catholicum illum tuum exercitum plus exhorreant quàm Turcicum. Tot ruinæ, tot incendia, tot Ecclesiarum direptiones, tot inson-

tium neces, ſacrorum vaſorum direptiones, tot ſupplicia, tot latrocinia, cædes, vaſtationes à feris iſtis & immanibus rerum humanarum & diuinarum contemptoribus orbi Chriſtiano nuper illata. Sed quid veterũ temporum annales percurrimus, cùm nuper Philippus II. auus tuus, cui ſapientis cognomen iure merito inditum, Turcarum amicitiam & ſocietatem ambitioſiſſimè circa annum 1591. & 1592. per Nogerum Marillanum Mediolanenſem expetierit, corrupto etiam pecunia Regis Chriſtianiſſimi ad portam Oratori Lancomio, qui proditionis ſuæ pœnas luit meritiſſimas nec nihil non quandiu in viuis fuit, tentauit, vt ad eam ſocietatem excluſo Rege æmulo perueniret? Quid quod Maximilianus Imperator propinquus tuus anno 1576. Polonis infenſus quòd alium Regem quàm ſe elegerant, cum Regibus Dano & Suedo Ducibus Saxonico & Moſcouitico hæreticis omnibus aut Schiſmaticis mutuò, coniurauit, non vt ſe ſuoſque tueretur, ſed vt priuatas iniurias vlciſceretur, ac de natione

Cardin. Doſſatus in epiſt.

Compend. hiſt. r. vniuerſale per Nicol. Doglionem Italum.

Christianissima immeritas pœnas exigeret & suppliciū vastatione sumeret.

Quid quod Carolus V. Imperator fortissimus atauus tuus toties cum hæreticis Luteranis Germanorum proceribus, toties cum Regibus Mahumetanis amicitias, societates & fœdera iunxit, coluit, exercuit, quoties id rebus suis vtile esse iudicauit? Quid quod nouo Iberopoliticæ Theologiæ inuento, per illud interim suum celeberrimum Germanicis hæreticis pacem insperatam reddidit, atque ex locis aut vrbibus plusquam quater millibus Catholicæ Religionis exercitia sustulit, Luteranorum induxit. Qui Franciæ bellum inferens aut Italiæ, robur militiæ eius, potissimum Luteranis, constabat quas legiones suas nigras appellare consueuerat. Qui Federicum Saxoniæ Ducem non quod Christi, sed quod eius hostis suo patrimonio & dignitate spoliauit, nec ei Catholicum ducem & Electorem quod ei si libuisset, licuisset, suffecit, sed Luteranum alterum Mauritium, scilicet amicum uum fidissimum. Qui classe pontificia adiutus

bellum contra Ariadinum Barbarossam mouit, vt, illo depulso, Muleassium Mahumetanum redintegraret, tributo ei imposito, religione neglecta. Qui Augustanæ Confessionis ministros aliquos, non quòd Christi aut eius in terris vicarij gloriæ, sed quòd dignitati suæ & Cæsareæ Maiestati detraherent, sæpius vindicauit, pulsis illis, qui in eum maledicta iacerent, subrogatis alijs, qui Christo blasphemarent. Qui Henrici VIII. Anglorum Regis amicitiam & societatem tunc expetiuit, cùm Pontifici infensus à Catholica fide defecerat. Vide, ô Rex, quemadmodum maiores tui Reges Catholici, reipublicæ semper quàm religionis fuerint magis studiosi, & Pontificum Romanorum fulmina, vbi de summa reip. agebatur, parum exhorruerint: atque vt Germanis Imperatoribus eorum iura & supremam dominationem autoritate Pontificia labefactare conantibus strenuè restiterint, aduocatis etiam Maurorum auxilijs. Illud te Mariana neruosus historicus egregiè docebit. Henrico, inquit, II. Imperante, Conuentus Tu-

ronis habitus, in quo Hērici legati questi ſunt Regē Ferdinandum cōtra morem maiorum & legum præſcripta facere, qui ſe Imperij Romani iure exemptum ferret & incredibili arrogantia & leuitate in ipſum Imperij nomen inuaderet, & ſacrificijs ex ritu Chriſtiano Hiſpaniā interdicendam, Regiſque inſolentis caput diris execrationibus deſigendum. Re deliberata Victor Papa pronuntiauit Henricum (CVIVS REBVS VT FAVERET NATVRA COGEBAT: ERAT ENIM NATIONE SVEVVS) videri æqua poſtulare. Miſſi legati Ferdinandum VERBIS PONTIFICIS & patrum monuerūt, vt Imperio deinceps ſatisfaceret, & Imperatoris nomine abſtineret, quòd neque legibus, neque auſpicato deſumpſiſſet, dira omnia niſi continuò pareret comminati. Ferdinandus Concilium cogit. &c. variæ dictæ ſententiæ. Pars ~~quæ~~ (QVORVM RELIGIONE ANIMI TACTI ERANT) obtemperandum iudicabant, ne Pontificem & Patres in ſuum caput irritarent. &c. Pauci VIRTVTIS PRISTINÆ

MEMORES) iugum Hiſpaniæ imponi grauiſſimum ſi morem gererent diſputabant: quod ceruicibus admiſſum haudquàquam excuti poſſet, PRÆSTARE IN ACIE MORI, omneſque acerbitates pati, quàm tanto malo & indignitate remp. implicari. Rodericus Diacius rogatus ſententiam, NEGAT CONSILII REM ESSE ARMIS DEFENDENDVM, QVOD ARMIS ERAT PARTVM: At difficile eſt Imperatoris conatibus reſiſtere, ROMANI PONTIFICIS IVSSIS NON OBTEMPERARE, VERVM INFIRMI ANIMI EST PRO BELLI TIMORE INCERTO CERTISSIMIS MALIS REMP. IMPLICARE. &c. Mihi ſtat ſententia, armis ſuſceptam à maioribus libertatem tueri aduerſus omnium hominum conatus, hocque ipſo gladio defendam: PATRIÆ PRODITORES ESSE NEQVISSIMOS QVICVMQVE AVT INEPTÆ RELIGIONIS SIMVLATIONE, aut præpoſteræ cautionis ſpecie diuerſum conſilium dabunt, &c. Aduerſus Imperatorem numeroſus conflatus exerci-

tus, &c. ADIVNCTAQVE MAVRORVM AVXILIA. Putas Mariana vituperat factum? Immo inquit, *Tantum plerumque præsidij rebus communibus in vnius viri virtute & prudentia situm est.* Præterea inquit, *Romani Pontifices Hispaniam sibi vectigalem reddere cogitarunt, vti argumento sunt litteræ Gregorij VII. ad Reges, Comites cæterosque Principes Hispaniarum in confirmando antiquis temporibus obseruatum priusquam à Mauris Hispania esset euersa.* VERVM IIS CONATIBVS NIHIL ESSE PERFECTVM, AC VERO PARI ANIMORVM CONSTANTIA ITVM OBVIAM, *rerum euentus declarat, retenta semper à nostris immunitate.* Nimium ergo caudex, stipes, asinus plumbeus est iste pseudotheologus admonitor, qui dum Maiestati tuę fauere studet in Rege Christ. damnat tua tuorũque consilia & facta, nisi forte ea mente id à se factũ dixerit, vt si forte tam facilem Regis Christianissimi animum offenderet, vt se suadente Turcæ Imperatoris portã desereret, tu, Rex Catholice, vacuam occupes. Si Grisios & Heluc-

tios veteres ſuos ſocios derelinqueret, tu Vallem Tellinam & populos eis ſubditos tuæ ditionis facias. Si Sabaudo Duci opem non ferret, tu Principem illum cognatum & affinem tuum Pedemontio ſpolias. Si Venetos quos impios & Atheos eſſe prædicat, deſtituerit; tu ciuitates illorum mediterraneas expugnes. Si Anglo & Dano cæteriſque Germaniæ proceribus nuntium miſerit, tu vndique Franciam arcibus cingas atque in illam Cyclopis gratiam & beneficium exerceas, eam ſcilicet deuorando, ſed poſtremam.

Verùm hanc Theologo mentem fuiſſe non ſuſpicor, Gallus eſt vt ipſe profitetur, & Hiſpanici ſupercilij exoſor; itaque quod credibilius eſt in te, ô Rex Catholice, ſtylum ſuum acuit, & dum Regem Chriſtianiſſimum affinem tuum excommunicatum & miniſtros tuos excommunicatiſſimos pronuntiat, aduerſum te tuoſque Conſiliarios fidiſſimos & prudentiſſimos fulmina prouocat. Magno certè illi viro quondam Antonio Læuæ ataui tui Caroli V. Conſiliario detractum eſſe vult ma- *Botterus in apophteg.*

lignus iſte admonitor. Cui quum illi conſilium danti vt primoribus Italorum Principibus obtruncatis vacuas eorum terras occuparet, Imperator nimium religioſus reſpondiſſet, anima verò quid ſubitò ſubiunxit, At ſi animæ, ô Imperator, cura te angit, Imperio tuo te abdica! Ille profectò Gondemarum Comitem damnat fidiſſimum illum Conſiliarium tuum, qui ſe adeo infelicem prædicauit, vt matrimonij vnius nec conciliator bonus eſſe potuerit, nec alterius diſturbator. Qui nullum non mouet lapidem vt te cum Anglo conciliet, qui ſi pro te, *flectere non poſſit ſuperos Acheronta mouebit.* Alios item prudentiſſimos & Iberopoliticæ Theologiæ peritiſſimos, qui per Monachos & Iudæos Turcam Maieſtati tuæ Catholicæ coniungere nituntur. nec aliud in animo habent quàm tibi orbis Imperium etiam religionis interitu mercari; quorum voces hæ ſunt. Si violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt, cæteris rebus pietatem colas. Qui Summi Pontificis animum obſident & eius fulmina tum ſpiritua-

lia tum materialia prouocant, non, vt fontes feriant, sed potentię tuę nimium in perniciem aliorum excrescentis aduersarios & hostes. Quem non principum Christianorum parentem esse communem volunt & arbitrum, sed ambitionis tuæ ministrum. Qui sibi ipsi & successoribus suis catenas & compedes auro suo cudere præcipiunt, vt in Vaticano velut in ergastulo inclusi in nulla re alia laborent quā quæ Monarchis Hispaniarum placuerit, vtque non iam Summi Pontificis, sed Regis Hispani sint, vt loquuntur simplices Cappellani. Tanti non interesse Gallias, Venetias, Allobroges ab Ecclesiæ vnitate & cōmunione separare, quāti Vallis Tellinæ incolas Catholico dominio adiungi & accrescere.

Hanc verò fuisse mentē impostori illi pseudo Gallo Theologo quis non videat, dum ita graphicè Cōsiliarios tuos depingit, vt non sit ouum ouo similius, quàm ea quæ de Regis Christ. Consiliarijs in medium profert, si ad tuos referantur quibus ab antiquo & vapore quodam siderum innatum est, vt ait.

Mari. l.8. c. 10. l. 12. c. 13. l. 6. c. 5.

Mariana, nulla re minùs moueri quàm religionis ſtudio, & quibus eodem auctore teſte, optimum ſemper viſum eſt religionis prætextum, quo nihil in ſpeciem eſt fallacius obtendere.

Quis enim tam veruex vt ea de Regis Chriſt. Conſiliarijs credat quæ plagiarius iſte illis affingit, Illius, inquam Regis qui religioſſimos viros Societatis Ieſu patres à teneris pueritiæ annis conſcientiæ ſuæ directores habuit? qui omnia ex nutu & conſilio Illuſtriſſimorum virorũ S. R. E. Cardinaliũ, quos conſilijs ſuis ſecretioribus prçfecit, operatur & agit; qui viros ſpectatiſſimæ virtutis & fidei & zeli ardore erga religionem Catholicam probatiſſimos vndique conquiſiuit, quibuſcum adminiſtrationis publicæ onera partiretur, quibus auctoribus. Rex ille iuſtiſſimus & obſeruantiſſimus æqui, hæreticorũ res non ſine vitæ ſuæ & omnium fortunarum periculo & diſcrimine in tota ſua ditione tam vehementer afflixit vt iam deſperatæ videantur. Quis regem tam Chriſtianum & ſine Maieſtatis tuç præiudicio Catholicum, hæreſeon fautorem,

rem, defenſorem, propagatorem & Catholicæ religionis oppugnatorem, vt grauiter nugator iſte maledicus mentitur, vel leuiter ſuſpicabitur: qui in ea ætate quæ ludis & puerilibus oblectamentis aptior, non ſolùm Regis, ſedetiam Ducis exercituum perſonam, tam fœliciter quàm fortiter ſuſtinuit, vrbes & arces munitiſſimas plùs minùs ducentas expugnauit, hæreticos vndique ſedibus ſuis expulit, ac duobus prelijs ingentibus terra marique profligauit, prouincias integras illis eripuit, Catholicæ religionis exercitia vbique inſtaurauit, contrariæ ſuſtulit, Eccleſiaſticos in bona ſua ab hæreticis abhinc annis 60. occupata & detenta redintegrauit. Epiſcopos vbicumque à Caluiniſtis eiectos ſedibus ſuis reſtituit.

Atque hunc tamen tanto Chriſtianæ rei augendæ & amplificandæ ſtudio & zelo incenſum, impoſtor ille talem mentitur qualem Antichriſtum fore verè aliquis dixerit qui res hæreticorum & infidelium vbique promouere, fidem & religionem vbique gentium abolere. Epiſcópos Catholicos per omnem

Germaniam ſedibus ſuis pellere, Calui-niſtas vel Luteranos in eorum locum ſubrogare. Imperatorem in ordinem redigere, Gaborem Imperatorem pronuntiare. Bauarum patrimonio ſuo ſpoliare, Palatino poſſidendũ tradere ſatagat & procuret. Totum dixerat ſi quod atauus tuus Catholicus Imperator Carolus V. fortiter geſſit, Philippus II. illius aquilæpullus non degener tentauit & aggreſſus eſt, id quoque Regem Chriſtianiſſimum facturum eſſe dixiſſet. Romam videlicet vi capturum, vrbem orbis Metropolim & fidei Catholicæ arcem Luterano militi diripiendam traditurum. Deo ſacratarum virginum florem, matronarum caſtitatem, viduarum pudicitiam rapturum, polluturum, violaturum. Eccleſias, Monaſteria, Xenodochia deprædaturum, Clerum omnem ludibrio habiturum, laicorum ad nouem vſque millia trucidaturum. S. R. E. Cardinales alios occiſurum, alios contumelioſiſſimis iniurijs & probris affecturum, & quod malorum vltimum eſt, Papam ipſum & Chriſti Vicarium incarceraturum, nec niſi ingenti pro eius

redemptione accepta pecunia liberaturum. Hæc fecit Carolus V. Imperator, nec alia ratione ſedi Apoſtolicæ tam atrocibus iniurijs & damnis nunquam ſat deflendis affectæ ſatisfecit, quàm quod religioſus princeps dies aliquot pullatus inceſſit. Cæterum, vt ait Sandouallus, ob talem ab exercitu ſuo partam Romæ victoriam admodum eſt lætatus. Idque ipſe Regi Anglorum per literas teſtatus eſt, hæc merito Papæ contigiſſe, quia Regis Franciæ partibus faueret, quod ſi Pontifici Cardinalibuſque parum feliciter ea res ceſſiſſet, ipſos ſibi imputare debere, iuſto Dei iudicio illud accidiſſe. Verum vt ego quidem arbitror, ô Rex Catholice, diuina Nemeſis hanc vicario ſuo vrbique fidei Metropoli illatam iniuriam haud inultiam abire paſſa eſt. Nam quod Pontifici aurum ereptum, inde euenit vt poſtea tota Hiſpania tam auri inops fuerit, vt alibi nuſquam ſit rarius, & quod claſſes Indicæ copioſiſſimum deferunt Hiſpania tantùm delibet, verùm Genuenſes fœneratores abſorbeant, Galli negotiatores exſu-

gant, Belgici milites profundant. Quod verò Arausicano principe Belga, Imperialis tum exercitus Duce, Roma barbaro more vastata est & direpta: inde iusto Dei iudicio contigit, vt eiusdem principis posteri tot Hispanis damna intulerint, Belgio illis autoribus rebellato, & in rempublicam Democraticam ita potentem constituto, vt cum ea, ô Rex, non aliter quàm cum alijs regibus & supremi dominij principibus per tuos Oratores & Legatos agendum tibi sit & tractandum. Ita Hispania tua auro & milite exhausta ad omnes aggredientium patet insultus. Contra verò quod Francorum Reges Christianissimi, sedi Apostolicæ tam deuoti & submissi fuerunt, quòd eam tot opulentis patrimonijs auxerunt, quòd eam tam alacri animo & impigra sedulitate, necnon incredibili fortitudine, ab oppressionibus tyrannorum & vexationibus hostium vindicarunt, quòd obsessos vel carcere detentos Pontifices summos toties missis exercitibus liberarunt, & sede sua pulsos tam benignè receperunt, quàm fortiter restituerunt. Inde illis, primogenitorum

Ecclesiæ iura attributa; inde illis per mille & ducentos annos sine interruptione continuatũ imperiũ; inde illis domi pax, foris triumphi. Inde illis, Christianissimorum, Piorum, Magnorum, Parentum patriæ, Sapientum, Sanctorum, Iustorum cognomina, & si aliquis fortè inertis & otiosi cognomen, numquam certè crudelis audiuit.

Bonum factum, Quirites, quod Vrbanum Pontificem sedes Romã Petri habeat, pastorem vigilantissimum eximijs animi & ingenij dotibus præditũ, scientijs omnibus adamussim vsque excultissimum, sapientia & magni animi robore præstantem, cui verba facere fallax & fucata pietas & religio tam non potest, quàm inania minarum terriculamenta timorem & terrorem incutere, prudenti ad discernẽdum, constanti ad resistendum. Cuius annulus non alienæ voluntatis minister, sed index suæ. Qui fulmina Ecclesiæ non ad impetum furiosi alicuius instigatoris in filios, in amicos, in socios, & religionis intuitu sibi subditos temerè iaciat; sed maturo iudicio & consilio, & post mitiora incassum tenta-

ta paternæ correctionis experimenta in perditos & fontes, & pacis publicæ & totius orbis Christiani perturbatores, & antiquorum Ecclesiæ patrimoniorum detentores & vsurpatores. Ne dubites, ô Rex Catholice, tam grauis Pontifex, admonitoris illius, immo rabidi illius canis, latratus, spernet, nec aut affinē tuum Regem Christianissimum, quòd cum Turca innocentissimum & toti Christianitati commodissimum fœdus foueat, quo in Oriente stat, quicquid Catholicæ vnionis est reliqui, Legatis regijs Nuntiorum Apostolicorū munere per Orientem defungentibus, vt sæpe Romani Pontifices agnouerunt & prædicauerunt, ac Regi Christianissimo per oratores suos gratias egerunt; nec te quod cum Persa; non illum quod cum Anglo & Dano societatem habeat, nec te quod cum Calecuti & Indicis Regibus, non vt melius, sed vt delicatiùs Christiani viuant aromatum commercio; non illum quod aliquot Germanorum proceres Caluinistas; nec te quod totidem vel plures Luteranos protegas: ideo te & illum excōmunicatos esse pronun-

tiabit, quemadmodum trifurcifer ille cōminatur, & quod Ithacus velit & magno mercētur Atreidæ: illi inquam ministri Caluinistæ Galli, Hollandi tui. Nouit sapientissimus Pontifex huiusmodi fœdera, nullo religionis detrimento, magno regnorum & totius reipublicæ Christianæ adiumento, à regibus & principibus Christianis inita & culta. Hæc pondera sunt rerū publicarum, quibus in æquilibrio stant regna & imperia, his sublatis alia nimium eleuari, alia nimium deprimi, hoc est sursum deorsum ferri rempublicam Christianam. Ita Clemens VIII. sapientissimus & religiosissimus Pontifex iudicauit. Qui cùm Henrico IV. nuper ad fidem Catholicam conuerso, & absolutionem à Sanctitate sua flagitanti, auus tuus Philippus II. negociū facesseret, & quibus poterat artibus illum ab Ecclesia alienum esse vellet, atque huius quidem animam Sathanæ, regna verò sua esse Catholico zelo cuperet, fœderibus cum Anglis, Hollandis & alijs non Catholici dogmatis, crimini ei datis; prudentissimus Pontifex, regem quidem admonuit vt ab huius-

Cardin. Dossatus in ep.

modi fœderibus diſcederet, ſed non coëgit. Cumque Rex id facere per oratores ſuos apud Sanctitatem ſuam ſe excuſaſſet; Pontifex tamen pacem & communionem verè pœnitenti & conuerſo Regi non recuſauit, hoc etiam addito reſponſo. Quòd ſi bello & armis, vel quibuſlibet Deo placeret, modis fieri poſſet, vt hæreſes ſtirpitus auellerentur, id vero ſibi fore gratiſſimum: cæterùm ſi illud obtineri nequaquam poſſet, nunquam ſe à Rege conditiones iniquiores & nimium difficiles exacturum. Iam reſtat, ô Rex Catholice, vt miniſtri tui & Conſiliarij, falſi alicuius zeli imagine & fucatæ pietatis obtẽtu, plebibus Chriſtianis illudere deſinant, vt eas laſciuientes & verorum Dominorum obedientia deſciſcentes tuis regnis adiungant. Id enim Principes Chriſtiani non ferent quos Ioan. Mariana hiſtoricus tuus admonet, *Impotentia atque imperandi auida ingenia Hiſpanorum, qui cùm ſemel irrepſerint, ad ſummam ſemper potentiam cunctis artibus contendunt.* Hanc auiditatem comprime, ne fortè alios deuorare feſtinans, tu teipſum ſtrangules, & ne dum in immenſam

Lib. 1.

mensum extēdere te volueris, rumparis, & ne inhiās alienis perdas propria. Quò magis pressæ vires, eò fortiores, has nimium si protenderis, ipsa extensione fatiscunt. Quantùmlibet crescas, vicinos semper habebis, & cum totam terram possederis alios orbes quæres, nec enim vnquam exsatiatur habendi cupido & sitis. Tu tuis ergo contentus viue, & alij vt idem faciant, non obsta. Non iam amplius Iacob, id est fratrum tuorum supplantator, sed Israël voceris, hoc est vir videns Deum, quem præter, non est alius Monarcha. Vide ne tui æmulū numen habeas, quod ait, Gloriam meam dabo nemini, Zelotypum est & superbis iracundum, *vidi crudeles dantem Salmonea pœnas.*

Sat, ô Rex Catholice, Indico sanguine litatum est, parce Christiano, tales hostias numen auersatur. Centies vicies centena millia Indiana capita in mediterraneis regionibus, totidem ferme in insulis, Satanæ immolata ab Hispanis militibus, tradunt annalium tuorum scriptores. Caue ne à te idem de Chri-

ſtianis factum poſteritas audiat. Sed vilem illum ſanguinem armati milites tui ab inermibus corporibus hauſerunt ferro & armis tam ad defenſionem quàm ad offenſionem cōparatis ſanguis Chriſtianus munitur. Caue ne quæ de Indico ſanguine, eadem mutato nomine de te fabula narretur; de tuis inquam Hiſpanis. Nam qui alios adnecem petutn, ad mucrones aliorum ipſi ſua corpora denudāt. Hollandia fortiſſimum quemque militem tuum exhauſit: Indicis regionibus tibi proſpiciendum eſt, ſi eas ſartas tectas velis. Allobrogum campos exercitus tui nuper impinguarunt. Anglorum claſſis regnis tuis imminet: hinc Danus cōfœderatis tibi Germanis:
b. 37. Inde Sabaudus, Veneti, & Heluetij Ita-
45. licis tuis prouincijs. Neapolitanorum & Mediolanenſium opes exhauſtæ, atque (vt ait Mariana) aſſiduis & intolerandis tributis alienati, parati credi poſſunt ad nouandas res, vt inuitum & pergraue Hiſpanici regni iugum excutiant. Vt omnes ex rerum deſperatione faciles defecturos appareat, ſi mitior & clemē-

tior qui dedentes recipiat, dominus offeratur. Auro Indico infidum est iter. Genuenses fame pereunt. Itali principes, in quibus & summus Pontifex potentiam tuam quam metuunt oderunt: Bauaro multi portendunt imperium. Hispanici fastus populos satias tenet: His incommodis si quæ ex Francia oriri possunt adijcias, non facile dici potest quàm inextricabilem in labyrinthum Dædali isti tui ministri res tuas cõijcient. Francia regnum est opibus & viris inexhaustum, vrbibus & arcibus munitissimum, ad alendos magnos exercitus glebæ fertilitate opportunissimum, ferro suo, auro suo refertissimum. Adde quod Rex nunc ei regno, his viris imperat non otio deditus & voluptatibus immersus, sed à pueritia armorum exercitio duratus, exercitibus innutritus, victorijs assuetus, qui bello hostes, venatu feras assiduè insectatur, virtutis amans, vitiorum osor, quæ nec quidem noui ex nomine, & quà boni summopere delectantur, mali terrentur, omnes in officio continentur, iustitia specta-

tiſſimus. Hunc tu affinem habere malis quàm hoſtem & tuis non inhiaturum confide, ſi ſocijs eius & confœderatis ſua quemque habere & tenere per te tuoſque non obſtiterit. Rex in æternum vale.

F I N I S.

